

## **De XIII Academiae Latinitati Fovendae conventu Vindobonae habito (18.09.-21.09.2013)**

Fovendam semper atque colendam esse Latinitatem nemo nostrum est, qui infitias eat, idemque consilium etiam ii omnes sunt secuti qui anno MMXIII mense Septembri Vindobonam se contulerunt ut XIII conventui Latino sub auspiciis Academiae Latinitati Fovendae (litteris compendiariis „ALF“), Instituti philologiae classicae posteriorisque Latinitatis Universitatis Vindobonensis, Academiae scientiarum Austriacae nec non Latinitati Vivae Provehendae Associationis (litteris compendiariis „L.V.P.A.“) habito interessent.

Hoc genus omnium gentium conventus, in quibus sive de rebus gravioribus sive paulo levioribus, quae eorum qui audiunt animos simul et doceant et oblectent, tantum Latine neque ulla alia lingua disputari solet, in variis Europae urbibus ab Academia Latinitati Fovendae, inter cuius sodales etiam Bohumila Mouchová Pragensis numeratur, quinto quoque anno instituuntur. Reliquo tempore minora quaedam Latinitatis vivae seminaria plerumque sub auspiciis L.V.P.A.e habentur quorum sex olim etiam Pragae et Brunae sunt celebrata.

Quod vero huius conventus erat argumentum tam praecipuum ut plures quam centum Latinitatis studiorum cultores, quorum novem Bohemi erant, ex duobus et viginti civitatibus, in iis etiam ex Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis, Mexico, Australia, alliceret? *De laudibus* loqui erat propositum quod laetissimas orationum segetes promittebat – etenim argumentum tam late patens secuti et de temporibus iam pridem peractis et recentioribus et recentissimis copiose disserere possumus! Quae cum ita essent, ante meridiem plerumque acroases omnibus communes habebantur, pomeridiano vero tempore in diversis auditoriis simul binae vel ternae scholae seminariaque recitabantur.

Conventus vero non in recentioribus Universitatis studiorum Vindobonensis aedibus ubi postea fere omnes acroases seminariaque habita sunt, sed in antiqua eiusdem universitatis sede, quae nunc ad Academiam scientiarum Austriacam pertinet, a Curtio Smolak Vindobonensi, Academiae Latinitati Fovendae conventusque ipsius praeside, atque a Thoma Pekkanen Helsin-

kiensi, qui *De carminibus suis* disseruit – etenim praeter alia *Kalevalam* quoque Finnorum in Latinum converterat –, est sollemniter inauguratus in ecclesiaque Societatis Iesu, quae adiacet, etiam concentu musico incohatus. Secutus est tantus numerus tantaque argumentorum de laudibus varietas ut omnia vix singillatim enarrari possint; quam ob rem saltem paucis ea, quae digna sint, perstringere conspectumque quandam rerum, quae inter convenitum actae sunt, legenti praebere conabor.

Omnibus igitur, cum de laudibus tractandis audiunt, proculdubio laudes ducum, principum, regum, imperatorum, summorum pontificum atque, quo brevius dicamus, excellentium virorum in mentem veniunt, genus illud panegyricum per tot saecula tantaque ubertate celebratum; neque in conventu Vindobonensi de hoc genus argumento deerant qui loquerentur – itaque Godofredus Eugenius Kreuz Salisburgensis primus doctissimam habuit orationem *de laudibus Domitiani*, quas Silvius Statius in *Silvarum prooemio mirificum* in modum decantavit, *terrae, Olympo, caelo inscriptis*, deinde Gaius Licoppe et Francisca Licoppe-Deraedt Bruxellenses *de Constantini panegyricis Gallicis*, Theodericus Sacré Lovaniensis *de laudibus Alexandri VII*, qui Romam moribus exornavit molibusque exhilaravit, *pontificis maxi-mi*, Barbara Dowlasz, L.V.P.A.e praeses, Vindobonensis *de laudibus Iohannis Sobieski, regis Polonorum* qui, utpote Vindobonae a Turcarum obsidione servator, in carminibus *Sobiesciade Viennideque* cum quercu immota, leone bellatore, fortissimo Hercule comparatus est, Iohanna Rostropowicz Opoliensis *de comite Georgio ab Oppersdorf de Glogovia Superiore eruditissimo*, Caietanus Gantar Labacensis *de Syferido Suewo poeta eiusque duobus carminibus panegyricis* quibus saeculo XIII Leopoldum VI Babenbergensem, Austriae ducem, laudibus cumulavit, atque ego ipse, huius nuntii auctor, *de Iulii Solimani SJ laudibus Ferdinandis sive de pietate Austriaca apud Bohemos post pugnam in monte Albo commissam triumphante* disserere opportunum duxi.

Nec solum iis qui multis iam saeculis ante in terram versi sunt, sed etiam aequalibus nostris duae dicatae sunt orationes quarum primam Aloisius Miraglia Romanus *de Davide Morgan* (1959-2013) habuit, viro cum doctissimo, tum humanissimo, quem, ut olim Erasmus Roterodamus Thomam Morum, *virum omnium horarum* appellavit. Item de lexico eius Latino, quod quam maxime vocibus per saecula iam usurpatis usque diutino probatis nec tantum, ut saepe fit, meris figurantis nititur, ob praematuram vero auctoris mortem nondum ad finem perductum est, si tempus suppeditasset, certe plura dixisset. Alteram orationem ipsius Latinitatis prope funebrem Ioannes Carolus Rossi Mediolanensis *de laudibus misolatinorum* protulit qua, Marci An-

tonii in opere, quod Villelmus Shakespeare de *Iulio Caesare* scripserat, Bruti, Caesaris interfectoris, laudes simulantis populique in eum odium incitantis nec non ipse etiam humanitatis cultorum, qui, ut Franciscus Petrarca, invectivas exaraverant, vestigia premens, in Dionysium Aenobarbum Pisaureensem, quod, cum Latinitatem summopere colere deberet, Latinitatis ipsius esset obtrectator et inimicus, est invictus ipsamque in caelum laudibus extulit Latinitatem.

Litterarum encomia aggressi sunt vel imprimis Terentius Tunberg et Milena Minkova Kentuckienses qui nonnulla *in litterarum Latinarum recentiorum laudem* luculenter disseruerunt, complures textus dignos, qui legerentur, praeteritis saeculis sive in Europa sive in America editos monstraverunt viasque, quibus nos quoque ad eos perveniremus, ostenderunt. At etiam alii eiusdem aetatis scriptoribus acroases tribuerunt velut Iosephus Marcellinus Pisanus et Christianus Laes Antverpiensis quorum hic *de laudibus boni praceptoris deque Dialogis Familiaribus Antonii Van Torre SJ (1615-1679)*, ille *de Blondo Flavio et Leonardo Aretino* verba fecit. Insuper poeseos quoque campum, in quo totus conventus erat incohatus, nonnulli sunt ingressi: David Money Cantabrigiensis *de publicis laudibus ambitioneque privata seu de usu carminum neolatinorum in academiis Anglicis saeculo XVI-XVIII*, Gerardus Alesch Vindobonensis *de huius aetatis poesi Latina*, Thomas Lindner Salisburgensis *de Lyra Latina commentariis*, in quibus carmina hac nostra aetate composita publici iuris fiunt, locuti sunt. *De podagrae laudatoribus*, qui saeculo XVI et XVII carmina panxerant, doctissimam nec, ut eius est mos, sine lepore Valahfridus Stroh Monacensis orationem habuit. *De Caralis*, oppidi in Italia siti, *panegyrico a Roderico Hunno Baeza*, qui poeta fuit Italus, *saeculo XVI* composito Paula Marongiu Florentina verba fecit. Nec deerant qui antiquioribus curam adhiberent, velut Antonius Angellotti Vindobonensis qui acroasis *de Tibulli laudibus vitae rusticae et Ovidii laudibus vitae urbanae* praebuit, Andreas Fritsch Berolinensis qui nobis multis locis allatis, *quid Phaedrus, fabellarum poeta, laudibus dignum aut non dignum iudicavisset*, ostendit multaque de virtutibus non solum apud ipsum Phaedrum, qui eas per contraria laudabat, sed in universum apud Romanos tradidit; ad quod argumentum, scilicet virtutes hominum vitiaque, quomodo per saecula existimata essent, item oratio *de laude propria* Sigridis Albert Saravipontanae spectabat. At, unde defleximus, eo revertamur, scilicet ad veterum carmina quae etiam Curtius Smolak Vindobonensis in acroasi, qua totus conventus conclusus est, eloquenter tractavit; etenim duo carmina, in quibus *de laudibus lacuum* agitur, inter se comparavit quorum recentius Paulus Diaconus, mediae, quae dicitur, aetatis scriptor, pepigit

carmenque ex secundo Vergili Georgicon libro recepit atque, ordine mutato, novis rebus consiliisque haud sine arte aptavit.

Omnibus denique in conventibus fieri solet ut aliquot orationes habeantur a ceteris sive modo, quo aguntur, sive argumento, cui dicatae sunt, omnino diversae. Tales protulerunt primum Fridericus Lošek Cetiensis qui *de Austria Latina – Germanice cum interprete* seu de statu et conditionibus linguae Latinae apud Austriacos docendae multa patefecit, simul alio loco Robertus Maier Frisingensis qui *de comparatione textuum Latinorum Graecorumque computatorio efficienda* seu de perutilibus subsidiis computatoriis haud pauca docuit, nec non Philippus Polcar Vindobonensis qui, quo facilius nos etiam de huius aetatis rebus loqui posse demonstraret simulque animos per totos dies audiendo fessos recrearet, *de praemio Ansgariano* nequaquam iniucunde est locutus. Praeterea bis ternae scholae Latine loquendi sunt habitae inter quas nonnulla exercitia vel textus explanandi proponebantur – peritis seu veteranis Caecilia Koch Monasteriensis, proficientibus seu mediis Catharina Ochman Wratislaviensis scholas recitaverunt, tironum ego ipse sum moderatus.

Arti pingendi eidemque cum philosophia coniunctae acroasin suam dicit Carina Zeleny Vindobonensis quae explanavit *quomodo more humanistico legi possent Giorgioni „Tres philosophi“ et Marci Basaiti „Vocatio Zebedaeorum“*, id est de praclaris illis tabulis renatarum artium aetate pictis, quae in Museo historiae artium Vindobonensi servantur, earundemque interpretatione disseruit. Conventus enim participes non modo orationibus, scholis, seminariis, cenis communibus interfuerunt, verum etiam *Museum* illud *historiae artis* et, antequam proficiscerentur, *Carnuntum*, amplissimam olim in ipso limite Romano urbem haud procul a Vindobona sitam, mystagogis Antonio Angellotti et Friderico Fassler, magistris Vindobonensibus, lustraverunt.

Saturam denique hanc variarum inter seque diversarum acroasium, scholarum, seminariorum quasi lancem cornuque copiae intuens non possum quin Curtii Smolak, professoris Vindobonensis, nec non Barbarae Dowlasz, quae ibidem laureae doctorali impetranda studet, eam maximam, quam in hoc tali ac tanto conventu parando navaverunt, operam admirer simulque omnes, qui hunc legunt nuntium, ad linguam Latinam nobis omnibus, qui litterarum studiis incumbimus, communem non modo scriptis, verum etiam ore in scholis studiorumque universitatibus serio colendam exhorter. Nec desunt nobis exempla nec aliis deerunt, nisi nos ipsi deerimus.

*Jiří A. Čepelák / Georgius A. Laminarius (Řím – Praha)*